



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

3. Obsessæ ciuitatis insperatum auxilium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

rem eorum rationem habet Mundi Governator, quàm illorum, qui curas animarumque suam quodammodo diuiserunt, aut toti negotijs immerfi seculo seruiunt. Quanquam bonus Deus magis hos etiam ipsos curat, quàm ipsi Deum.

Nec enim desunt exempla. Quàm insperatò succurrit, vsque ad desperationem obsessæ ciuitati? *Factâq, est fames magna in Samaria: & tam diu obsessa est, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, & quarta pars cabi stercoreis columbarum, quinq, argenteis.* Si fames hæc non fatis magna, considera à matre filium coctum; considera verba ducis, Elisæo magnam rerum omnium abundantiam in sequentem diem promittente, dicentis: *Si Dominus fecerit etiam cataractas, in cælo, nunquid poterit esse, quod loqueris?* Et tamen totis repente Syriorum castris exterritis, fugientèque & rege & exercitu, quanta omnium cibariorum copia in prædam relicta est? Vnus dies totam sustulit calamitatem; nec citiùs sol noctem pepulit, quàm abundantia penuriam; & inopia rerum omnium, in omnium rerum copiam est cõmutata.

Neque toti tantùm ciuitati prouisum est, sed etiam exiguè mulieri, ad quam Elisæus dixit: *Surge, vade tu & domus tua, & peregrinare ubicunq, repereris: vocauit enim Dominus famem, & veniet super terram septem annis. Quæ surrexit, & fecit iuxta præceptum hominis Dei; & vadens cum domo sua peregrinata est, in terra Philisthym diebus multis.* Curauit vtique hæc mulier familiam, sed vna etiam à cælo curata est, per Prophetam, dum missa est, fame dominante, vbi aleretur. Quod quidem apertis verbis Prophetam huic mulierculæ antè dixit. Quàm plurimis, non quidem per sermonem hominis, sed per Angeli suggestiõnem, indicat, vt locum mutant, & migrent aliò, vbi eos vult sustentare; qui si ibi manerent, vnde, tacita cogitatione suadente, abeunt, fame essent, perituri.

Ipsi Apostoli, cum labore manuum suarum victum quaeritarent, cum retia in vndas iactarent & piscarentur, nonne à Domino adiuti sunt? Ad Simonem ait: *Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.* Et respondens Simon dixit illi: *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo, laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluderunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt socijs, qui erant in alia naui, vt venissent, & adiuuarent eos. Et venerunt, & impleuerunt ambas naticulas,*

ita vt

III.  
2. Reg. 6. 25.

4. Reg. 7. 2.

IV.  
4. Reg. 8. 1.

V.  
Luc. 5. 5.